



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Quadragesimum primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Caput Quadragesimum primum. A

*De infante in balneo suffocato & per inuocationem nominis
B. ENGELBERTI resuscitato.*

Infantem
mortuum
excitat.

FOEMINA quædam è Flandria attulit filium suum infantem. Cum-
que cum in balneo posuisset, & necessitate urgente ab eo recessisset,
illius oblita est. Post horam verò reuertens, cernit infantem aquis præ-
focatum. Itaque incredibili correpta dolore, simul etiam recordata
martyris, qui tum passim ferebatur multis coruscare miraculis toto cor-
de cum lachrymis & suspirijs orauit eum, vt excitaret filium ipsius. Re-
dit anima in viscera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit
cum infante Coloniam, & apud sepulchrum martyris gratias agit im-
mensas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Ecce per marty-
rem tuum ENGELBERTVM cæci vident, claudi ambulant, paralytici
curantur, surdi audiunt, tertianæ & quartanæ febres profligantur, epi-
leptici & alijs diuersis implicati morbis, sanantur, etiam mortui reui-
uiscunt. Si non esset hic homo cum Deo, imò potens apud Deum,
non posset facere quicquam. B

Notatio ad Caput Quadragesimum pri-
mum. C

MAnuscriptus tradit hoc miraculum Leodij, contigisse,
quo venerat è Flandria mater cū filio postea suffocato.

Caput Quadragesimum secundum.

De miraculo intestinorum eius. D

REFERAM nunc quoddam non exiguum sanctitatis eius documen-
tum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoque ad mo-
nasterium Montense, & cum mentio incideret, quemadmodum illic
tractatum esset corpus beati martyris ENGELBERTI, sciscitabatur ille,
vbi viscera eius humata essent. Dicentibus monachis, in cœmeterij fos-
sa quadam vulgari condita esse: Non decet, inquit, tanti principis, imò
martyris miraculis coruscantis, viscera tam negligenter haberi. Obtem-
perant

Viscera
martyris
incorrupta
post mul-
tas hebdo-
madas.